

**Disputatio medicophysica inauguralis de olfactu ... / Eruditorum examini
submitit, Joannes Oosterling.**

Contributors

Oosterling, Joannes.
Burman, Pieter, 1668-1741.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Conradum Wishoff, [1731]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ggqkxtbu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

TANDEM
BONA
CAUSA
TRIUMPHAT

DISPUTATIO MEDICOPHYSICA
INAUGURALIS
DE

LONDON·MEDICAL·SOCIETY
O L F A C T U .

QUAM,
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

PIETRI BURMANNI,
J. U. DOCT. HISTOR. GRAECAE LINGVAE, ELO-
QUENTIAE, POETICES, ET HISTOR. FOEDERA-
TI BELGII PROFESSOR. ET BIBLIOTHECAR.

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè
& legitimè consequendis,

Eruditorum Examine submittit,

JOANNES OOSTERLING, *Harlemo-Bat.*

Ad diem 11. Septembris 1731. horâ locoque solito.

CONSTANTIA

TRIUMPHANS

LUGDUNI BATAVORUM

CONRADUM WISHOFF

Apud

DEO PATRIÆ
TUTORIBUS,
PRÆCEPTORIBUS,
CONSANGUINEIS,
ATQUE
AMICIS.

*Hancce Dissertationem ea, qua docet,
Reverentia & obsequiodat, dicat,
dedicat,*

JOANNES OOSTERLING,

Author.

DEO PATRIA
TUTORIBUS
PRAECEPTORIBUS
CONSANGUINEIS

A T Q U E
A M I C I S

Henricus Dissertationem ea, qui docet,
Rectorum & observatorum, dicit,
scilicet,

JOANNES GOSTERLING

Author

PRO O E M I U M.



Eges Academicae dum Jubent unicuique ad doctoratus gradum adspiranti suorum studiorum specimen edere, ego hasce mei laboris primitias offerre conatus sum.

Certe diu haerens & instar Euripidis jam huc jam illuc fluctuans, nesciebam, an par essem propositum opus perficere, Incitabat me organi olfactorii speculatio, dum bene scirem, amicos mihi vitia admissa, tenuiorem scribendi stylum, ut & tenerum ingenium excusaturos, cum ab altera parte non nescius essem, malignis non esse satis faciendum.

Hacce cogitatione incitatus illam materiem, ut non minimam in Physica humana explicare studui, non ut illius dignitas postulat, sed Juvenilis aetas permittit.

Cum Vero forsan Vires me deficerent summo numine nitor qui dixit, se suo spiritu illos qui integramente petunt, sustentaturum.

Hacce confidentia rem aggrediamur.



DISSERTATIO MEDICOPHYSICA
INAUGURALIS,

DE

O L F A C T U.

C A P U T I.

De ossibus organum Olfactorium componentibus.



SSA MAXILLARIA, quamvis aliis fungantur officiis, multum ad organum olfactorium conducunt, nam intima parte amplum cavum formant, quod tamen multum minuitur intercedentibus ossibus palati, quae idem valde minuunt, ubi duo maxillaria ossa coeunt articulatione, assurgit os Vomer dictum, quod cavum narium dividit & rhomboidis instar recipit processum basios ossis multiformis; Hoc Vomer a priori parte sursum tendens abit in lamellas duas, pertenues & quasi exesas, quae nectuntur lamellae ossis Cribrosi Mediae parti, NB: quod lamina ossis Cribriformis Media in tenellis est cartilaginea, sed Vomer est jam osseum primis quatuor mensibus, quae duo tempore ita concresecunt ut in adultis unicum os referant & separando

rando expertam manum requirant: ab Inferiori Vomeris parte oritur septum narium cartilagineum, quod externe apparet & nares dividit.

OSSA maxillaria porro processibus binis, primo latis & oblique positis, extrinsecus modice convexis, tandem angustioribus, perveniunt usque ad os frontis, quod tangunt, qui faciunt assurgentem nasi partem, quibus accedunt duo officula Nasi, quae inferiori parte latiora, in angustius coeunt, & lateraliter connectuntur processibus istis nasalibus, & sunt quasi complementa ossium maxillarium superiorum, quae ossa simul totum nasi dorsum componunt.

OSSA SPONGIOSA inferiora sunt ab una parte concava, ab altera convexa, scabra, tenuia, porosa, ab anteriori parte latiora, a posteriori angustiora, quae pendent ex eminentiis ossium maxillarium & Palati, atque in imas nares prominent.

OS CRIBRIFORME jacet in superiori parte nasi ad foramina oculorum, superior ejus pars est per forata ovalibus rotundis parvis foraminulis, per quae nervi olfactorii in narium cava distribuuntur; Haec pars distinguitur per lamellam, quae abit in crassius & dicitur Crista Galli quae se insinuat suturae ossis frontis, quae nervos olfactarios a se invicem separat, & facit, ut non comprimi possint, si caput in latera sit conversum, nam si in dextrum, sinister processus mammillaris ab hac sustinetur.

Os cribrosum utrimque format os cavernosum, rarum, tortuosum, multis orificiis instructum, nexum superiori ossis frontis parti, tum & ossibus maxillaribus & ossibus unguis, Palati & ossi multiformi, quod omnia haec ossa attingit; tandem haec ossa cavernosa abeunt in binas lamellas, tenues, extrorsum incurvatas, tunc crassiores, convolutas, oblongas, scabras, porosas, quae sunt ossa spongiosa superiora, non distincta, ut quidam veteres dixere, sed sunt partes ossis cribrosi, quae in nares dimissa, superiorem illarum partem opplent & faciunt aerem ingressum simul cum effluviis odoriferis hic longam pati moram & aliquamdiu illic retineri, ut meliores producant usus.

Cum vero ex alto dimissa haec ossa necessario oculorum forami-

raminibus interjacere debuerint, natura hic formavit ad horum latera duas lamellas planas, tenues, sed solidas, pellucidas, quodammodo quadrangulares, politas, quae ossa plana Anatomicis dicuntur, connexa superiori parte ossi frontis; anteriori ossi unguis; Inferiori maxillari superiori & Palati; posteriori denique parte ossi sphaenoidali; Quae ossa plana partes posteriores & laterales orbitae formant, & simul illos nempe oculos, a naribus separant.

His accedunt ossa unguis (ossium planorum complementa, sunt bracteolae tenues, osseae, sat solidae, quae cavernulas ossis cavernosi instar squammarum integunt, utrimque connexa ossi cavernoso, frontis, plano, & maxillari superiori; Haec accurate narium cava ab oculis distinguunt; Haec ossicula sunt sinuata pro formando canali Nasali, ex cantho oculi interno originem ducente simul cum osse maxillari in utroque latere, primo apertus est & compressilis, sed tandem pergendo undique ossibus cinctus usque ad saccum lachrymalem, qui est membrana interna haec loca cingens; Hic incipit post carunculam lachrymalem a veteribus pro glandula habitam, a punctis lachrymalibus sicque tandem in nares hiantem ore dimittit sub osse spongioso inferiori in utroque latere; Hinc scitur cur lachrymantibus per nares stillicidium & quare omnis lachrymosus liquor evanescit, hinc quoque deducitur curatio, si oriatur impedimentum, sistens dictum humorem in illo canali quod optime tollitur inducta seta flexili in puncta lachrymalia, penetrando usque in narium cava, quod leniter peragi debet.

Ex tenuitate ossium unguis facile quoque videmus, quod si ulcera maligna hic fiant intra nasum, quam facile haec exedi possint, & sic malum ad oculos pergere, & ibi pessima excitare symptomata.

Ossa nasi etiam facile prae sua teneritudine possunt consumi ulcerē maligno hic nato, sic nasus concidere ut frequens experientia in luc Gallica nobis demonstrat.

C A P U T II.

De foraminibus Nasi.

IN genere sunt sex, sed oportet, ut de singulis agatur separatim.

Occurrunt ergo duo sinus frontales facti a separatis a se invicem ossis frontis laminis sub eminentia supercilio subjecta, qui sinus frequenter septo osseo sunt secreti; Hi sinus foramine patulo in narium cava ad os spongiosum superius patent: Natura autem hac in re ita ludit, ut jam modo dexter jam sinister jam neuter adsit; Hi sinus accipiunt membranam muciparam Sneideri, de qua post, videatur Anatome Palfin pag. 307.

2. Sunt duo sinus sphaenoidales, facti intra duas ossis cunei formis laminas sive tabulas, qui juxta longitudinem capitis separantur septo osseo sunt satis magni; interdum unus major est altero, interdum, ludente natura nulli adsunt; patent foraminulis frequenter distinctis incava narium sub ossibus spongiosis superioribus; Hae cellulae eandem in vestientem membranam accipiunt.

3. Occurrunt adhuc duo sinus, in maxilla superiori, vulgo antra Higmoriana dicti, quae tamen magnopere minuuntur intercedentibus palati ossibus, orificio patenti se evacuantia in narium cava, eandem membranam accipiunt, cujus ope mucum parant & in nares destillant. Haec cava jacent perfecte supra dentes molares tres, intercedente tantummodo tenera lamella ossea; Hinc etiam facile fieri potest, ut ulcus invadens haec cava erodat hanc lamellam, sicque dentibus extractis in os pus vel ichor effluat & etiam si malum latet in dictis, extractis dentibus & lamella perforata, via medicamentis datur, sicque saepe potest curari, quod Clariss. Couperus primo invenit.

Sic vidit Clariss. Lugd. Bat. Profess. Albinus, vir certe ob diligentiam & dexteritatem nunquam satis laudandus casum in muliere quadam, cui una dens molaris erat evulsa, lamella hac

B

simul

simul fracta, tunc poterat stylum plicatilem usque ad cerebrum adigere, continuo effluebat species puris, sicque finge-
bat ulcus in dicto loco, cum revera nil aliud erat, quam mu-
cus hic generatus & effluens.

Vid. de his antris Higmor disq. Anatom. Tab. 14. fig. 1. 2. 3.
His sinibus aliquando accedit alter in crista Galli, qui tamen
rarissimus est.

Omnes hae cavitates cum investitae sunt quadam membrana
mucum faciunt & capite inclinato unus vel alter sinus suum pro-
fundit liquorem.

Per haec cava sua membrana praedita distribuuntur ner-
vi olfactorii tenerrimi ex osse cribroso prodeuntes, de quibus
postea.

De his cavis multae authorum opiniones exstant; Alii cen-
sebant haec facta fuisse, ut ossa leviora essent; Alii ut mucum
ibi factum aliquamdiu retinerent; Alii melius adhuc putant sic
ut illo linimento ista membrana lubrica teneretur, ne continuo
inspirato aere arefceret & cum nimis crassus evaderet ope ster-
nutandi expelleretur, sed praecipue est, ut fibrillae olfactoriae
suis functionibus aptae manerent, illae enim ab aere sicco faci-
le laederentur; Quidam etiam dicunt, quod formata sunt pro
meliori & fortiori resonantia in edenda voce; Alii iterum di-
cunt, quod mucus illic secernitur, ut corpuscula odori fera
irruentia haerent, ut odor nobis melius esset cognitus.

Omnes hae sententiae aliquid veri habent, sed illa tamen opti-
ma est, quae ponit, hoc factum fuisse, ut haec membrana si-
mul & in illa distributi tenerrimi nervuli tam olfactorii, quam
motum muscularem peragentes, molles & facile irritabiles per
tantum spatium temporis manerent. Praeter haec foramina,
quae ad narium cava spectant, etiam communicationem cum
faucibus habent, mediantibus duobus foraminibus, quae de-
glutiendo occluduntur velo Palatino dicto ne deglutienda re-
gurgitarent per nares, hoc enim fisso, naribus exeunt, & lo-
quela ab ejus integritate etiam multum pendet, nam illo rupto,
homines per nares loquuntur.

In narium cava quoque se exonerant suis lachrymis canales
duo

duo sub osse spongioso inferiori, de quibus jam antea. Ad haec omnia accedunt duo canales in utroque latere unus qui originem ducunt a coëuntibus ossibus Palati & multiformi, quae in suo coitu aptum foramen formant, ut & alter canalus in utroque latere assurgit, incipiens in osse sphaenoidali supra anteriorem radicis aliformis processus partem satis magno & orbiculari orificio, qui supra eundem processum fere recta in posteriora progrediens & paululum arctior tandem supra eundem processum ad latus narium, quod ad fauces est, patet: Hi canales in cava narium deducunt arterias, quibus mucus illic fecernitur & illud liquidum, quod ex illarum ultimis exstillat, ad vehunt; admittunt venas, quae sanguinem superstitem revehant & in venas jugulares externas trans fundunt; quarum ultimi rami tenuiorem liquidi mucosi partem resorbent, & illius, quod ab aere est, sicque simul in venulas majores deponunt tota enim peripheria corporis nostri constat venulis bibulis quae tenuiorem liquidi partem excipiunt, sicque sanguini tandem rubro adducunt; admittunt etiam nervos ex tertio ramo quinti nervorum Paris qui nervi hic musculari motui inserviunt, ut & alibi facit. Hi enim nullum olfactus ipsius officium gerant: ad hunc nasum etiam venit ramulus ex pede anserino ortus ex nervo auditorio duro, sed evanescit in nasi exterioribus partibus.

Ita ut duo diversa nervorum genera hic adsint, excepto illo, qui oritur nervus ex pede anserino, ad exteriora nasi spectans, quod in visu, gustu &c. etiam verum est, quinti enim Paris ramuli, ut muscoli hic agunt, non ut sensus instrumenta.

Hucusque quoad structuram ossium, cava narium componentium & foraminum, ad illa spectantium, jam adhuc restat, ut de structura nasi, quae externa sensibus apparet, agamus.

NASUS externe nobis videndus est maxima parte constans ex cartilaginibus, nam constructus est quinque cartilaginibus majoribus & quatuor saepe minoribus, ut magnus Ruyschius observavit, quae ejus alas & septum medium formant, ut vero alae contrahi possent, hinc ut melius & fortius irruerent si-

mul cum aere corpuscula odorifera in nervos olfactorios, illis inferuntur duo muscoli, qui fontem ducunt carneum ab antica inferiori parte ossium quatorum maxillae superioris, inserti ad narium alas. Ut vero omnes externae nostri corporis partes integumenta exteriora habent, sic & noster nasus; Membranam possidet cellulofam, tenuem parum olei continentem quod Deus sua providentia sic fecit, nam muscoli hic sunt valde teneri, quibus imprimis inservit, hinc parva olei consumptio hinc parva illius secretio, nam si hic generaretur tanta ejus moles, ut in aliis quibusdam corporis locis, nasus in inde coram magnitudinem increfceret; Porro habet cutim tenuem, ut & Epidermidem.

Partes nasi exterioris distinguibiles, sunt hae; pars ejus eminentior per longitudinem excurrens, dorsum dicitur; ejus pars acuminata, spina appellatur; Extrema nasi circumferentia, orbiculus; Partes ejus laterales, alae; foramina per septum cartilagineum divisa, nares nominantur.

C A P U T III.

De membrana mucifera.

Haec membrana sneyderiana, mucosa dicta non solum investit cava narium, sed etiam omnes memoratas cavitates, & cellulas ossium spongiosorum quatuor, ita tamen ut ejus structura longe tenuior sit in sinibus frontalibus &c, quam in narium cavis, ejusque secretus liquor tenuior, & erat necesse, nam viae illorum, quae in nares spectant, valde exiguae sint, hinc facile obstruerentur, unde magna oriri possent mala.

Membrana haec est continuatio membranae interioris aesophagi, ventriculi, intestinorum utriusque generis, asperae arteriae; in feminis, ipsius uteri, vaginae, meatus Eustachiani & auris internae; Haec tunica cum membrana investiente Palatum osseum conveniens format velum pendulum Palatinum, accedentibus glandulosa fabrica & fibrosa, crassitiem ejus producentibus.

Vc-

Verum tamen licet haec membrana sit productio dictarum interiorum tunicarum, structura tamen quam maxime variat ut in sinibus sphaenoidalibus & frontalibus jam dixi; nam in meatu Eustachiano jam longe tenuior est fabrica quam naribus, sic & ventriculo & intestinis nam in intestinis tenuibus est papillosa & rugosa & quidem maxime in Ileo, dum in intestinis crassis, crassior sit & ad finem multis glandulis, Peyerianis dictis ornata, ut crassa fex ibi inungeretur, mollior redderetur atque lubricior, & ut partes hoc linimento oblitatae, & leniores prementi feci cedere quodammodo possent sicque viam illi aptiorem redderent: Hinc videmus adorandum Naturae auctorem, hancce formasse tunicam internam omni functioni, in quacumque parte peragendae, sua fabrica accommodatam.

Haec membrana Sneyderiana sive mucipara est quasi peristroma narium & constat innumerabilibus, omnium alibi repperarum serierum vasis, nempe arteriosis rubris, serosis, lymphaticis vehentibus liquidum ad ignem concreescens, lymphaticis, quorum liquida ad ignem non coeunt, sed tota exhalat massa; Nervosis arteriosis; quod idem verum est, de venis similiter hic occurrentibus; Apparent hic vasa copia incredibili, quae humorem limpidissimum extillant, quae vascula, si arte Ruyschiana implentur ceracea materie, ipsam in narium cava dimittunt.

Praeter haec membrana haecce multis cryptis, sive glandulosis corpusculis instructa est, quae in omni hujus Tunicae puncto adsunt, haec corpuscula liquidum crassius, quam illud, quod ex arteriis secernebatur, pro ferunt & per sua emissaria in narium cava dimittunt.

Hicce adhuc accedit perspirabilis Sanctoriana materies, quae hic ut in omnibus tam internis, quam externis sanis nostri corporis locis continuo exhalat, & tunc si in interioribus cavis sit, per Venulas continenter reforbetur, & reliquo sanguini adducitur.

Haec liquida arteriosa faciunt diluendo, ut succus glandulosus, non tam cito crassus evadat, ac aliter his deficientibus fieret, sicque simul membranam hanc mollem, calidam & lubri-

cam conservant, dum interim per vasa nutrientia continuo suum amissum recuperet, sicque maneat, ut fuerit.

Porro per hanc distribuitur tertius ramus paris quinti ex unione cum nervo paris sexti, qui communicationem habet cum nervo intercostali & Vago, ergo cum nervis respirationi famulantibus, quo nervo irritato fit sternutatio; Hi ramuli nervosi optime etiam Vivi & afficiendo apti servantur dicto liquido, ut & nervi Olfactorii; de quibus postea.

In hac membrana multi & pessimi morbi sedem figere possunt, ut Polypus, qui est Luxuriatio sive excrescentia hujus tunicae; porro inflammatio, suppuratio, gangraena, sphacelus, scirrhus, Cancer, solutio continui, de quibus mei non est hic agere, quia hic pro objectis, habeo sanas partes, per quas sanas actio Olfactoria solummodo peragi potest, cum haec ad Pathologiam spectant.

C A P U T IV.

De Nervis Olfactoriis.

Nervi Olfactorii, veteribus processus mammillares dicti, quia medulla cerebri instar duarum mammillarum protracta est, & pro cerebri emunctoriis habiti; hinc Nervum opticum primum nervorum par dicebant: Originem ducunt ex superiori medullae oblongatae parte & quidem infinitis distinctis fibrillis, licet unum compactum corpus efficere videantur, quod hoc sit verum docemur contemplando.

1. Ortum, elementa, progressum, dum fibrillae adhuc solitariae sint.

2. Leporum, piscium & similibus cocta cerebra, tunc manifesto patent fibrillae depresso Cylindricae pectinatim sibi junctae.

3. Vasa sanguinea, tenuia interposita & fibrillas a se invicem separantia, sicque distinctionem facientia.

4. Cor-

4. Corticem interpositum in medullae spinalis medulla inter ambientem medullam.

5. Fibras albas per medium corticis affusi dispersas in parte postica medullae spinalis adhuc intra cranium latentis, & ad latera ejusdem principii adhuc in cranium, omnium tamen optime in appendicibus corporis callosi & in cerebello ipso.

6. Collectionem & dispersionem fibrillarum medullofarum in oblongatam medullam & ab hac in Nervos, functiones suas obeundi gratia.

Illi nervi solummodo integumentum a pia matre habent, Vasculosum, dum vero perveniunt ad os Cribriforme duriorum tunicam a dura matre porrectam acquirunt, sicque magis ad incommoda ferenda muniantur; hoc enim os aethmoides est perforatum innumeris, quoad nostros sensus foraminulis, ex quibus multa sensibus apparent nudis, multa adhuc minora per Microscopia spectare licet; Omnia haec foraminula intrinsecus tunica investita existunt, quae a dura matre est & vasis arteriosis & venosis omnis generis constat, quae multa phaenomena nervis accidentia producunt, & pro nutrimento & calefactione requiruntur: dum fibrillae transeunt per haec sibi adsciscunt tale involucrum & exeunt illo osse & se extendunt ad loca, ad quae sunt destinatae id est ad cava narium, ubi dividuntur in innumerabiles fibrillas molles jam & affici aptas.

Si consideremus expansionem & nuditatem horum nervorum quidem concipimus, quomodo attractae cum aere particulae odoriferae tam facile hos nervos afficere possunt, quamvis effluvia illa tam parva mole sint, sed etiam simul miramur, qui fit quod non saepissime laedantur, & tot annos suum munus possint peragere, sed cum ab altera parte tam fidelem custodiam, videamus impositam, nempe liquidum blandum, subsalsum leviter, secretum, ut nervi molles, mobiles, vivi & ab effluviis odoriferis affici apti essent & manerent sed & simul, quia crassior & tephacior, adeoque exire ineptus, fieret liquor, exhalata tenuiore parte, hic cernimus ramum nervosum paris quinti ex unione cum ramo paris sexti, cum nervis respiratori servientibus communicantem, per amplas illas cavitates disper-

sum,

sum, quo irritato, fit sternutatio, cujus ope illa crassior, materies magna cum vi exploditur, sicque purgantur illa cava; Haec sternutatio non solum fit a materia crassa, ibi haerenti, sed etiam a materia subtili acri & irritante ex floribus, foliis radicibus &c.

Sic videmus hancce machinam constructam, ut illa, quae nervos laedere possent, statim expellere conetur, quod clare contemplamur in illo, qui forte sternutatorium assumpsit, statim facta sternutatione, natura alienum & sibi molestum corpus quadam vi expellere studet, quod duplici modo facit nempe vi explodendo, vel per liquorem affluentem, quod semper sternutando fieri videmus, diluendo, sicque stimulum suum ineptum reddendo.

Si haec omnia jamjam exposita intime consideremus, in Olfactus intellectum assurgere incipimus, & simul non satis mirari possumus infinitam nostri conditoris sapientiam qui non solum omnia creavit, ita ut sunt sed simul fecit, ut illa, quae formavit, apta manere suis officiis valeant.

C A P U T V.

De Nasi positura.

Natura in ordine nostrorum corporum partium faciendo, nasum in superiori anteriori faciei parte locare voluit, & quidem ob evidentes, nunc memorandas, rationes; nempe,

1. Ut propior esset cerebro, ideoque ut nervi molles Olfactorii minus periculo obnoxii essent, quam si per longam viam ad debitum locum pervenire debuissent, & etiam ut citius cerebrum afficeretur effluviis odoriferis, quae saepe vitam quasi suffocantam reddunt.

2. Ut per flexilitatem colli vertebrarum septem, pro arbitrio mentis nasus ad objecta odorifera flecti posset pro necessitate, quod in alia corporis parte ita fieri non posset.

3. Ut

3. Ut simul cum attracto aere in respiratione, corpuscula odorifera irruere, sicque olfactum excitare valerent.

4. Ut homo hoc ornamento instructus, si nasus bene natus sit, amabilior esset, videmus enim, quam turpiter est si hominibus nasi pars concidit per maligna ulcera Venerea & alia infortunia, tunc enim omne decus homini est sublatum; Haec sunt praecipua de nasi positura.

C A P U T VI.

De Materia Odorifera.

Materies unde fit olfactus, ducitur ex Vegetabilibus, animalibus, fossilibus & consistit in illorum spiritu, oleo, sale & sapone, quae ita dividi debent ut illorum particulae in aere volitare & cum aere attrahi queant.

Patet autem multis experimentis, quod particulae, quae odorem faciunt, latent in spiritu, nam oleum Cinamomi, Chariphill &c. hoc Spiritu privatum vix, fragrat & est instar cadaveris; Si vero ille extractus spiritus iterum addatur, fragrantia redit; Hic spiritus est penetrantissimus, nam si manui sanae simul cum oleosa parte applicatur impedita interim extrinsecus perspiratione per tenax emplastrum, brevi crustam gangraenosam producit; Si vero applicatur sola pars oleosa, spiritu detracto, nil mali facit.

Particulae, unde odor fit, etiam valde parvae existunt, nam experimentis patet, quod, si ambra grisea aperte stetit & per annos fragrantiam suam dedit, vix quoad pondus imminuatur. Dum interim totum conclave odore suo replevisset continuo; quod etiam Microscopia docent, nam licet optima adhibeantur, particulae quae cum aere attrahuntur, nullo modo visui nostro objici queant.

Alterum experimentum hoc etiam confirmat; si generosum vinum sine operculo stat per noctem & postridie examinatur, vapidum est, & fere sine ullo odore, dum interim quoad mo-

lem vix imminutum esse videatur; sed forte quis diceret, quod hoc fit, quia illae particulae ab aere quasi ligantur, sicque adhuc adsunt, licet se non manifestent; Si vero rem in aliis examinemus, videmus aerem excitare, non vero ligare, nam aer ad ignem admissus flammam optime producit; Si placenta sanguinea aeri obvertatur, statim in illa obversa parte rubicundior fit, dum antea aere in illam non irruenti, fere nigra apparebat.

Illum Spiritum dixere veteres Chemici Rectorem, quia hoc absente, totum reliquum inefficax existat, instar membrorum sine capite vel principe.

Materia, quae haeret in Aromatis, sapore & odore efficax, non inepte a Benevoglio Sulphur ligatum dicebatur, quod attenuando & solvendo se ostendebat, quod clare videmus in assumptis Chariophillis, cinam, pipere & similibus, nam primo initio satis parum virium exhibent, sed si illam materiam solvimus manducando & diluendo per salivam, tunc rei veritatem experimur, id est illorum efficaciam.

Partes odoriferae optime excitantur in motum, calore, motu, tritu, non mirum; nam tunc calore & agitatione exaltantur illa corpuscula & volatilia redduntur, quod apparet illis, qui Cinamomum, Chariophill, Cort Wint, Galang, Zedoar, flor. Lavend, Ambr Grys, in mortario terunt, tota enim aedes illorum fragrantia repletur; hinc erat proverbium Romanis antiquis, dicturis de virtute suppressa, virtus, quo magis premitur, eo suavius fragrat.

Miscela cauta salium ad objecta odorifera fragrantiam quam maxime promovet; quod Myrobracharii arcana scientia norunt, & Venetiis, alicubi faciunt, unde optima odorama oriuntur, quam artem in tenebris servant nullique communicare volunt; hoc vero nobis notum est, quod acidum incitat odorem, nam Pharmacopaei, si aquam Cinamomi destillare volunt, & quidem fragrantissimam, vinum rhenanum addunt aquae, sicque optimam exhibent; sic breviter de materia odorifera egimus, nunc ordo jubet, ut modum applicationum ordi-

aur.

CA-

C A P U T VII.

De applicationum Modis.

Quatuor apud authores modi enumerantur, quibus fieret applicatio per nervos ad sensorium commune.

Quidam Mechanicorum eam ponunt fieri per tensionem & contre miscentiam fibrillae nerveae, ut si ejus pars extrema attingatur, interior etiam motum acquireret; in hanc sententiam incidere experimento quodam; V. C. si quisunque suo digito crepat ad trabis unam partem, sonum percipitur ab altero ad finem trabis haerente, dum interim non audiatur sonum ab alio, in medio trabis exacte attendenti; sed an hoc Systema sit verum magnopere dubitatur, nam illi nervi, sunt molles, flexiles, flaccidi, multis incurvati locis, ideoque contremiscentiam non parientes, dum etiam sententiae huic repugnare videantur accurata distinctio, qua nobis sensuum objecta repraesentantur & peraguntur motus musculares.

Altera applicandi sententia haecce est, nempe propulsationis quam ita veram esse posse contendunt; per Microscopia Leeuwenhoekiana constat, sanguinis partem rubram esse sphaericam ita & serosam, jam ponunt omnes alias, quotquot sint, series decrescientes talis esse figurae, sed semper minoris, tandem nervosum succum consistere ex particulis globosis tenuissimis, mobilissimis, solidissimis, ut ejus indoles docet; si res ita se habet quod non plane improbabile videtur, adducunt experimentum quoddam mechanicum, nempe, si octo globi duri ponantur in humum, & motus anteriori imprimatur, posterior fugiet & solus ex suo loco cedit; concludunt ergo si talia corpuscula in tubis nerveis adsint, & corpora odorifera imprimunt motum anteriori, quod tunc posterior motum quemdam excitare debeat, ut indicto experimento patet; quae sententia an vera sit, pro certo affirmare non audeo, est saltem ingenuose excogitata.

Tertius modus fieri a quibusdam ponitur per motum undulatorium, & hi dicunt, quod si ope aeris attrahantur corpuscula odorifera intra nares ad fibrillas nerveas, tunc liquido in illis fibrillis contento accideret motus quasi retrogradus ad sensorium commune, sicque excitaretur sensus; Haec sententia magnis difficultatibus laborat, nam nervi in quibusdam corporis locis sunt duri & quasi circumvoluti, fateor, quod hoc in nervis Olfactoriis non ita obtinet; Motus etiam retrogradus, qui hic fieri ponitur, maximam habet difficultatem, quia tunc motus, qui est ex initio nervi versus extremum superari debet a materia, quae tam incredibiliter parva est; Ponimus enim continuum fluxum per fistulas nervosas, interdum majorem, interdum minorem, nam aliter rigescerent tenellae illae partes, adde, quod succus nervosus ponderosus sit pro sua tenuitate.

Haec tres sententias proferre volui, ex quibus unusquisque sibi optimam eligere potest, dum omnes non sunt omnino demonstrandae & multis difficultatibus laborant, & forte adhuc alio modo fit, statim memorando dicimus ergo, quod corpuscula odorifera, qualis figurae sunt, ope inspirationis per nares deducuntur ad organum olfactus, id est ad fibrillas nerveas, ubique distributas, sicque suo motu afficiunt illas, atque communicationem ad sensorium commune producant aut per tensionem, aut pulsationem aut motum undulatorium, aut forte per simplicem contactum nam si vas est plenum, & motus imprimitur ad ejus initium, cedente paululum liquido, ad ejus extremum, quaedam mutatio oritur, quod ponimus, nempe fibrillas Olfactorias tempore Olfactus esse liquido subtilissimo plenas, si ergo illarum finibus imprimitur motus, mutatio quaedam ad sensorium oriatur: quae sententia omnium probabilior esse videtur. His itaque jam positis maxima nebula nobis occurrit, quae mens hanc mutationem capiat, sicque inde formet ideam acidi, foetidi, grati; sed de his nil dicemus, quoniam haec res plane meum ingenium superet.

Omni sapientiam etiam effugit, quod illa corpuscula, quae omnes sensus, licet armatos, eludunt, possunt mutatio-

nem

nem ad sensorium commune producere, per totum nervorum tractum transire dum debent, atque superare resistantiam, liquidi nervosi; hinc concludere possumus, quod illa applicatio, quae ad sensorium commune fit, valde parva & simplex esse debeat, ita ut magnus Leeuwenhoek non perversè dixerit, quod illa prae simplicitate summa sensibus assequi nequeat.

Sic tam clare & breviter, quantum in me fuit, haecce proposui & unicuique suum tradere placitum volui, jam superest modo ut compendiose quaesita explicemus, in quibus etiam res valde tenebricosae occurrunt.

C A P U T V I I I.

De Quaesitis.

Q. 1. **Q**uare alae narium unicuique accurate Olfacturo per suos musculos contrahuntur?

R. Ut arctata hac via, partes odoriferae fortius incurrerent, sicque vividius nervos afficerent.

Q. 2. Cur cui officula spongiosa majora, illi melior Olfactus?

R. Quia si haec sint magna, tunc distributio nervi etiam est major, sicque irruentes particulae illum melius tangere possunt, quod in canibus odoris equis clare apparet.

Q. 3. Quamobrem fit? ut si animam hauriat animal per asperam arteriam abscissam & extra collum per vulnus patentem; si animam cohibet; si exspirat, a violentissimis odoramentis nullum fere nanciscatur odorem; sed contra inspirando fortiter attento animo, optimam Olfactus facultatem habet?

R. Quia in prioribus casibus, particulae odoriferae non afficere valent fibrillas nerveas; contra in posteriori quam optime.

Q. 4. Qui fit? ut odores uno momento quasi vitam reddant. Sic videmus fieri in recenter natis & quasi mortuis, solummodo applicando allium contusum ad nares.

R. Non mirum nam cerebrum est hic quasi protractum, ergo hae particulae directe in illud agunt & quasi stimulando motum spirituum suffocatum excitant.

Q. 5. Qua de causa Olfactus morbos, mortem & omne genus operationum exercet?

Sic plane videmus in opio exhalante ad ignem, unde somnus; vinum per nares solummodo attractum facit temulentiam; Scammonium, Aloë, Colocinthides creant hypotharsin; Vinum vel cerevisia fermentantia, per angustum foramen spirantia, per nares attracta mortem momentaneam inducunt; Pulvis Euphorbii intolerabilem sternutationem creat & sic porro.

R. Haec omnia fiunt, quia efficacia illorum constat in particulis imaginationis vi minoribus, sicque in spiritus agentibus, sed quare determinatio operationis pro corporis attracti varietate jam hic, jam illic fiat, nescio; Sic enim haec omnia ab adorando nostro conditore facta contemplamur.

Q. 6. Cur in variis hominibus odor ejusdem odorati adeo diversos edit effectus?

R. Quia dispositio cerebri in diversis hominibus quam varia sit, quaedam enim mulieres odore ambrae gryseae, mosch Zibet, reficiuntur, dum aliae illum ferre nequeant; sic in alio casu, ad spectus sanguinis effluentis, imo ratiocinatio de illo quosdam quasi mortuos reddit, dum alii facile ad spectum illius ferant.

Q. 7. Quomodo fit, ut corpuscula exilissima odorifera, mole, unde exspirant, vix quoad pondus imminuantur, dum interim per tantum temporis odores suos edant?

R. Sic videmus parvam ambrae gryseae copiam stetisse per annos neglectam, tamen adhuc bonam & vix imminutam, ita ut particulae, quae exhalant, admodum parvae esse debeant, nisi quis dicere vellet, quod ab aere regenerarentur, quod non probari potest.

Q. 8. Cur foetor exhalans ex partibus animalium vel vegetabilium corruptis tamdiu naribus inhaerent?

R. Quia se muco, in naribus praesenti affigunt, ita ut ab hoc
quasi

quasi ligentur & quam maxime matutino tempore, quia tenuior pars calore lecti exhalaverit, mucosior remanserit, tunc enim irruente aere continuo eundem foetorem redonant.

Q. 9. Quamobrem fortissima odorifera sunt sternutatoria?

R. Quia haec magnam in nervos non solum Olfactorios, sed quoque in illos paris quinti, communicantes cum illis respirationi inservientibus, irritationem faciant, unde tunc sternutatio oritur, alienum expellendi gratia.

Q. 10. Qualem usum habet humor assiduo intra nares generatus?

R. Ut hujus ope nervi Olfactorii pulposi, molles affici apti permanerent per tot annos, quod etiam verum est de fibrillis Paris quinti, hic distributi, & ut si quid alieni invenitur, hoc liquido dilueretur & iners redderetur.

Q. 11. Cur evigilantibus fere nullus odoratus?

R. Quia nervi tunc mucos quasi sint obruti, hinc impediti sua exercere officia.

Q. 12. Quare post sternutationem redit?

R. Quia hoc mucos expulso, particulae odori ferae jam in nudas fibrillas Olfactorias irruere possint, sicque odoratum facere, dum interim ope sternutandi spiritus magis in nervos distribuuntur.

Q. 13. An mucus ille repurgando cerebro inservit, & quousque hoc verum?

R. In quodam sensu hoc verum est, nam sanguis corde expulsus, irruens in arterias carotides, usque ad cranii basin pergens occurrit arteriis binis carotidibus externis, in quas minus mobilis & mucosior pars transit; unde mucus diversis in locis secernitur; Sic in arteriis vertebralibus binis, quae continuo ramos laterales dant, in quos minus sanguinis apta pars intrat; Sic etiam in cavernis juxta latera Ephippii, a dura matre factis, tardio rem & mucosio rem partem deponunt; quae pars sanguinis si maneret cum aptiori & simul verheretur ad minutissima cerebri vascula, facile incommodum oriretur; Veteres vero in hac opinione versabantur, quod illa materies in ipso cerebro fieret & tunc decideret in

cava narium per quaedam foramina; sed nulla adsint foramina nisi in osse cribroso, quae replentur fibrillis nervosis; Haec ergo opinio non assumi potest.

Q. 14. An mucus in initio dum generetur, crassus, an postea talis fit?

R. In initio est valde tenuis, nam secernitur ope glandularum & vasculorum minimorum, sed quoniam pars terrestris illi adsit exhalata parte tenuiore ope caloris reliqua induit naturam corporis solidi & tenacis, nam instar corii durescere potest.

Q. 15. Unde nam fit, ut animalia viva in narium cavis generentur & exeant?

R. Hoc tali modo accidit, homines aliquando flores jucunde & fortiter Olfaciunt, dum interim insectorum inpraegnata ova insunt; Haec ope validissimae inspirationis simul cum aere attrahuntur & vehuntur in sinus frontales &c. hic occurrunt illa ova descripta mucos, in quo haerent, & tandem calore naturali horum locorum explicantur & vitam acquirunt, tunc generant inter se, sicque prolem faciunt; fit etiam saepe, ut ex naribus exeant: Visum est animalculum satis magnum in homine quodam Britanno in sinu frontali quod tumorem externum sat capacem produxerat supra oculum, illo aperto animalculum exiit.

Q. 16. Cur nasus internus tam magnam communicationem habet cum nervis respiratori famulantibus?

R. Ut horum irritatorum ope pars, quae jam crassa reddita fuit, & si diutius maneret, inepta foret perangustas vias exire, expelleretur ope sternutandi; ut & omnia corpuscula irruentia aut applicata, quae naturae inimica sunt.

Q. 17. Nonne sternutatio est convulsio, adeo delassans, mortem, si diu nimis maneret, creans?

R. Imo, nam sternutando totum corpus quasi convellitur & si diu perseverat, adeo delassatur, ut sudores erumpant & homines se amplius sustinere non possint.

Q. 18. Cur sternutatio motum sanguinis accelerat?

R. Quia ope illius sanguis pulmonalis velocius agitur in cor

sinistrum hinc in arteriam magnam sic versus cerebrum, unde major spirituum secretio; sanguis etiam ope convulsionis in corpore, quae fit sternutando per musculos contractos subitius cordi adfertur dextro; hinc pulmoni, inde statim major sanguinis circuitus.

Q. 19. Quî fit, ut mane post somnum fere semper sternutatio?

R. Quia liquidum tunc crassius & tephacius redditum fit, & angulos jam formaverit, quorum ope pungit ramulos paris quinti, per narium cava distributos & communicantes cum nervis respiratoriis, sicque illam producit.

Q. 20. Cui bono mane fit sternutatio?

R. Primo ut materia nocens expelli posset; 2. ut motus sanguinis, acceleraretur versus caput, sicque novi spiritus fecernuntur & in fibrillas nervosas, per somnum quasi collapsas intrant.

Q. 21. Si nares nimis humidae sint, quare malus Olfactus?

R. Quia tunc nervi sunt sepulti humido & nimis flaccidi, sicque suam accipiendi facultatem amittunt.

Q. 22. Cur si nares sint nimis siccae & aridae?

R. Quia tunc tenellae fibrillae nimis durae evadant & quasi obrigescant, ita ut a parvis illis particulis odoriferis affici nequeant.

Q. 23. Cur in explicabile est, quomodo mens percipit objecta Olfactoria?

R. Quia mentis cum corpore connexio & operatio mortalium nemini hucusque nota sunt, ergo de his dicere non possumus & forte nunquam dicemus, sic vero nostram machinam infinita sapientia constructam cernimus.

En paucis per tractatus sum hanc materiam, non ut ejus gravitas jubet, sed vires meae admittunt.

F I N I S.

A N N E X A.

I.

Quamvis quidam nervi sint laesi, dolor tamen non oritur.

II.

Pleuritidi producendae, diathesis sanguinis inflammatoria, neque motus citatior sufficiunt.

III.

Calor naturalis in corpore nostro solummodo oritur a circuitu humorum.

IV.

In curandis vomitu & diarrhaea, nulla universalis methodus dari potest.

V.

Venae sectio saepe est optimum cardiacum.

VI.

Sanguis menstruus quodammodo malignus dici potest.

VII.

Quidam vivi fluxum menstruum etiam patiuntur.

VIII.

Quaedam mulieres, licet adultae & non impraegnatae, fluxum menstruum cohibere possunt, illibata sanitate.

IX.

IX.

Femina non facit semen.

X.

Nullus certus conceptus locus assignari potest.

XI.

Quamvis foetus exoneraverit album in utero, non est indicium illius mortis.

XII.

Foetus corpore materno exclusus cum placenta & integris membranis satis diu vivere potest.

XIII.

Foetus in utero materno per os nutritur & necesse est.

XIV.

Febris intermittens est aliquando summum sanitatis conservandae auxilium, ut & vomitus.

XV.

Odor oriri potest, licet nullae odoriferae particulae in aere externo adsint.

XVI.

Haemorrhagia ex naribus, licet ex parva arteria, est saepe exitialis.

F I N I S.

TERMINOLOGICVS

Terminologiae

Quoniam terminologiae sunt signa, quae

et verbum sunt signa.

XII

Verbum est sonus, qui per se

factus in se non habet significationem.

XIII

Verbum in se non habet significationem, sed

XIV

Verbum in se non habet significationem, sed

XV

Verbum in se non habet significationem, sed

F I N I S

TER

D s

TER INHULDIGING

van den HEERE

JOANNES OOSTERLING,

*Als syn Edele tot Meester in de Geneeskunde
bevordert was.*

Geluk myn Vriend, nu met uw Zeegen
Dien gy hebt door veel sorg en vlyt
In Pallas Wortelperk verkreegen,
Ten kosten van de vlugge Tydt.
Thans fiet gy nu de Dag geboren,
Het eynde van U staag verdriet,
Nadien gy nu tot Arts verkoren
Die lang-gewenschte Eer geniet.
Dus sult gy eerst den Oegst vergaren
Van 't geene gy in uwe jeugd,
De Lentetydt van uwe jaren
Gesaait hebt met een volle vreugd.
Wat geeft gy Ons al veele blyken
Van U vernuft, 't geen door Natuur
En kunst het Aspunt sal beryken,
En syn der Starren nagebuur.
Soo ick U Gaven steeds sou melden,
Was 't noodig, dat my voor een tydt
Ulysses schrander Breyn verselden;
Dus wierden sy alom verbreydt.
Ga voort, soo sal men van U waegen,
Daer Phoebus met syn Gulde kar
In 't Oosten glansryk op komt daegen,
En sig voor 't oog verthoont van var;

Als daer hy weër komt neer te dalen
Onthult, en t' eenemael ontbloomt
Van Glans en schitterende stralen,
In Thetis aengename schoot.
Gy wilt nu Leyden gaen begeven,
Daer Pallas heeft haer Opperfael,
En kiest door innig Vuur gedreven
Het Sparen, dat met soet onthael
Van Dartelende Stroom-Najaden;
Die bly en vrolyk om U kunst
Spartelen, Spelemeyen, Baden,
U sal ontfangen met veel gunst.
Ga, ga, herstel de kranke Harten,
Bevrydet hun van haere Quael,
Ga, ga, de felle Dood nu tarten
En wilt ontnemen syne Prael;
Ja kluijsterd hem aen staele banden,
Dat hy het Menschelyk geslagt,
Nu nimmermeer komt aen te randen
Tot hunne droefheyd onverwagt.
In 't Eynd' sie ick U eens betreeden
Vrouw Venus Egtaltaer seer bly,
Met eene Maegd, volmactt van Seeden,
En wien de Kuisheyd hangt op zy,
Ja wiens seer schoon bekoorlyk wesen
Het blank Albast en Rosen tart,
Van Vrouw Natuur U uitgelesen
Als tot verlusting van U Hart,
Om voort te brengen sulke looten,
Die U als brave Telgen syn,
En Uwe Glory steeds vergroten:
Nooit moet U quellen ramp of pyn.

W. V. D. H.

Medicin. Candid.

AAN

Aan den HEERE

JOANNES OOSTERLING,

Als zyn Eerwaarde tot

M E D I C I N A E D O C T O R

bevordert wierdt.

Dus zie ik naar een naarstig streeven,
Om wysheyd U myn waarde Vriend
Ten trap van U begeert gesteven
En krygt den naam, dien gy verdient,
Hoe sult gy, ('k zie 't in korte tyden,
Door 't geen gy op het Leydts Atbeen,
Hebt op gelegd) den geen verblyden
Die tot den Dood genaderd scheen,
Als gy door kunst, en door Gods zeegen
Zieltogenden den blyken toont
Dat gy, door voorzigt in u weegen,
Met den verwagten vrugt hen loond,
'k Wens U myn Heer, uyt grond myns harten,
Dat noyt U enig ongeval
Van quelling, ramp of onheyl smarten
't Zy groot of klyn, ja ook voor al

Dat

*Dat gy in 't kort een Maagd zult vinden;
Aan wien dat gy U liefden geeft
Op dat dus door een reeks van vrinden
De naam van OOSTERLING berleeft:
Nog eens, 'k wens gy in korte stonden
Door kunst beroemt, in Staat geëerd
Door Godsvrugt vroom zult zyn bevonden,
Die met u woord, en wandel leerdt
Op dat, terwijl, gy ligbaams quaalen
Van anderen geneest; ook gy,
Dit door Godts gunste zult behaalen
Een ziel van ziekte, en zonden vry,
En komt de Dood U ziel ontbinden
Van 't ligbaam, op U affchyds dag;
God doe U dan die ruste vinden
Welk gy reets in Geloov hier zag.*

Non ut volui, sed ut valui

W. S.

S.S.Theol.Stud.